Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

Zachariam patrem Joannis intelligi volunt, ex quibusdam apocryphorum somniis approbantes, quod propterea occisus sit, quia Salvatoris predicaverit adventum. Alii istum volunt esse Zachariam qui occisus est a Joas rege Juda inter templum et altare, sicut Regum narrat historia. Sed observandum, quod ille Zacharias non sit filius Barachiæ, sed filius Jojadæ sacerdotis. Cum ergo et Zachariam teneamus, et occisionis consentiat locus, quærimus, quare Barachiæ dicatur filius et non Jojadæ. Barachias lingua nostra Benedictus Domini dicitur, et sacerdotis Jojadæ justitia hebraeo nomine demonstratur. In evangelio, quo utuntur Nazareni, pro filio Barachiæ filium Jojadæ reperimus scriptum.

Hæc signid valent pro Zacharia Pontifice a Joas occiso, amplius valere debent pro Patre Joannis Baptistæ. Christus enim exprobravit Judæis cædes Justorum a primo usque ad ultimum; et quidem cædem ultimi exprobravit tanquam ab ipsis audientibus, non ab ipsorum patribus patratam: quem occidistis. Zachariam Joannis Patrem fuisse filium Barachiæ, diserte affirmat S. Hippolytus M. ~~auctor gravissimus~~ apud Nicephorum hist. l. 2, c. 3. Si autem contendas, Zachariam, de quo Christus, fuisse Jojadæ filium; Epiphanius Vit. Prophet. c. 23 satisfaciet; ubi juxta versionem Dion. Petavii: Zacharias alter Propheta Sacerdos Jojadæ (Iudæ) filius, Joannis Baptistæ pater fuit. Hunc Herodes interfecit inter altare et domum Domini, adeo ut in vestibulo templi ejus funderetur cruor. Unde pariter habetur testimonium de Zacharia nostro inter templum et altare occiso: cum tamen Pontifex Zacharias non inter templum et altare, sed in atrio domus Domini lapidatus esse dicatur II Paral. XXIV, 21. ~~Si~~ Qua igitur Hieronymus de nomine Jo-